

05

A

2351

Disputatio Politica

de

MAGISTRATU,

quam

Dei auspiciis & Praesidio

M. MICHAELIS WENDELERI,

Alumn. Elect. & Facult. Phil. Adjuncti,

publico submittit examini

CHRISTIANUS LEDERERUS

Wittebergensis

*In Auditorio minori horis antemeridi-
dianis die 12. Octobr.*

WITTEBERGÆ

Excudebat MICHAEL WENZ,

ANNO MDCLXXXIX.



*Viro admodum Reverendo, Amplissimo atque
Excellentissimo,*

Dn. PAULO RÖBERO SS. Theol.
Doctori & Prof. P. Ecclesiae VVittebergensis Pa-
stori & Superintendenti gravissimo, Consistorii Ecclesiastici
Assessori longè celeberrimo, Præceptori
& Promotori suo maximo:

ut &

*Clarissimo atque Excellentissimo
Viro,*

Dn. MICHAELI LEDERERO J.U.D.
& Curiae Elect. Advocato, Fratri suo dilecto:

juxta ac

*Viris Prudentissimis, virtute & autoritate
Spectatissimis, Præstantissimisq;*

Dn. QUIRINO Schachern/ Mercatori & Reipublicæ Lipsien-
sis Senatori meritissimo:

Dn. JOHANNI Bergern/ Bibliopolæ & Senatus Witteberg.
Camerario fidelissimo:

Dn. VALENTINO DALICHOVIO ejusdem Reipubli-
cæ Actuario & Senatori dignissimo:

Dn. GEORGIO Wincklern/ Civi & Mercatori Lipsiæ facile
primario:

*Dnm. Avunculis, Affinibus, Promotoribus & Fautoribus,
summo observantia cultu venerandis*

Hanc Exercitationem Politicam

Debitæ gratitudinis contestandæ & ulterioris
commendationis gratiâ offert

Christianus Ledererus R.



05 A 2351

Præloquium.

IN Magistratûs origine docendâ, naturæ principia, è quibus universum Sapiencia civilis studium proficiscitur, cum revelationis principis, quæ è sacro codice hauriuntur, adeo conveniunt, ut neque ullam hâc vel apparentem reperire pugnam possis. Nihil, inquit, Cicero lib. 3. de ll. tam aptum est ad jus conditionemque natura, quàm imperium, hoc est, Magistratus, sine quo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. Nam & hic Deo paret, & huic obediunt maria, terraque & hominum vita jussis suprema legis obtemperat. Poetarum Parens, Homerus, Jovis alumnos vocat eos, penes quos est potestas in Republicâ. Idem ex Jove originem suam reges deducere ait. Reges quoque instruit, ut exemplo Agamemnonis maximè in Dei auxilio spem collocent potius, quàm in hominibus. Quid aliud dicunt, cum ipsi Deo ac natura Magistratûs originem attribuunt, quàm, quod ait Apostolus ad Rom. 12. v. 2: non esse potestatem nisi à Deo: quæ autem sunt potestates, à Deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Tanta est porrò hujus necessitas, ut sine Magistratûs prudentiâ ac diligentia secundum Ciceronem civitas esse non possit. Hinc & autorem humanarum legum & custodem veteres sapientes fecerunt. Plato multis in locis cum canibus comparat. Xenophon in Pœdia Cyri, inquit, bonum Magistratum hominibus esse legem viventem. Ad stipulatur huic sepe laudatus, Romuli nepotum disertissimus, loco supra citato statim sub initium: Magistratus, ait, hanc esse vim videris, ut præsit, præscribatque recta & utilia & conjuncta cum legibus. Ut enim Magistratui leges, ita populo præsumt Magistratus: verèque dici potest, Magistratum legem esse loquentem, legem autem esse mutum Magistrum. Ergò de re tam sanctæ originis, tantæque necessitatis pauca si proposuerimus, neque tempus neque paucas has perdemus pagellas. Videbimus paucis, quid sit Magistratus, & quibus oporteat eum esse instructum virtutibus. Deus, summus Magistratus, felix his cœptis incrementum largiatur cœlitus.

Theses.

1. §. Quod si quis rationem à nobis exigat, ob quam de Magistratû in Politicis instituatür tractatio, huic ex Philosopho respondemus, tria esse præcipuè, quæ in senatu requiruntur, consilium, Magistratum & judicia: mediumque ideò maximè necessarium omniumque præstantissimum judicari, quòd reliqua duo sub se complectatur. Nam omnis, cui est potestas imperandi & mandandi ea, quæ videntur facere ad Remp. is etiam consultationes instituit ac judicia exercet, aut ad minimum instituere atque exercere alios jubet; quia proprium munus Magistratûs est jubere & ordinare ea, quæ recta & utilia & cum legibus sunt conjuncta.

2. §. Dupliciter accipitur hæc vox, *latè* pro omni eo, qui potestatem aliquam habet, *strictè* pro eo, qui jus consultandi, judicandi & imperandi in Rep. aliquã obtinet. Nobis præcipuè sermo est futurus de Magistratû civili; quia Ecclesiasticus, quem nonnulli statuerunt, considerationis nostræ non erit.

3. §. Et quia Respub. est totum, quod constituunt Magistratus & subditi, hunc non per personam, ut nonnulli faciunt, sed per partem, definimus, quæ imperium civile in subditos exercet, divinitus ordinata, gladioq; armata ut Politix custos sit.

4. §. Dividunt in summum & subordinatum. Ille vel absolutè summus, qui nulli, nisi Deo, subjicitur, vel respectivè talis, qui quidem superiorem agnoscit, sed in suo territorio summi Magistratûs officio fungitur. Subordinatus quivis alius, qui à superiori concessum obtinet imperium consultandi, judicandi & imperandi.

5. §. Sed quicumque tandem sit, sive summus, sive
medius

medius, sive infimus, ita esse institutus debet, ut sit exemplar virtutis, quod reliqui cives intueantur, & ad quod suam quoque vitam conforment. Nam secundum versum:

Regis ad exemplum totus componitur orbis.
Refertur autem Principis virtus vel ad Deum, vel ad ipsum Principem, vel ad alios, cum quibus ei est negotium.

6. §. Virtus ad Deum relata est pietas, quæ consistit in cognitione & cultu Dei. Ut pietas in omnibus, ita maximè in Magistratu requiritur, cum suo exemplo plurimum vel noceat, vel profit, cum grave sit administrationis opus, adeoque præsens Dei requirat auxilium: id quod non nisi pietate impetratur.

7. §. Ad ipsum Magistratum relata virtus respicit vel animum, vel curam tum animi tum corporis, estq; Sobrietas, Castitas, Magnanimitas, Fortitudo & Modestia. Sobrietatis studium Magistratui cuiusvis necessarium est; quia hunc nihil magis decet, quam sana ratio & prudens consilium. Utrumque gignit mater sobrietas. Hinc Socrates dicere solitus fuit, quod anima siccior, hoc est, in epulis & vino non natans, sit sapientior. Castitas Magistratu est digna, cum animo per libidines corrupto nihil honestum insit. Magnanimitas, quæ acerba ita fert, ut nihil à naturæ statu discedat, necessaria Magistratui; huic enim multa obveniunt acerba. Fortitudo quasi Scutum est, quo adversa quævis superat. Ex modestiæ suavitæ cogitat, se à communi conditione omnibus indictâ mortalibus non esse exemptum. Frenat hæc iram, quæ ubi Principem sibi mancipat, totam Rempublicam funestat.

8. §. Præter hæc in Magistratu commendatur for-

A 3

ma

ma & robur corporis. Ut forma sæpe bonæ mentis indicium est, ita deforme corpus animum loquitur monstruosum. Fallunt tamen hæc externa corporis indicia; quia non in fronte, sed in mente sedent virtutes.

9. §. Virtus, quæ corporis & animi curam respicit, consistit in victû, amictû, recessû & denique in recreatione corporis & animi per exercitia. Victus ab omni luxû sit remotus. Frugalitatem hanc suadent rationes; quia sanitatem conservat, auctoritatem apud prudentes conciliat, ingenium & prudentiam alit. Egregia frugalitatis exempla sunt Augustus, qui cœnam tribus ferculis, aut, cum abundantissimè, senis præbebat, & Tiberius, qui in solennibus convivis pridiana apposuit.

10. §. Amictus non sit sordidus; arguit enim vel avaritiam, vel extremas animi inquinati sordes: non *peregrinus*; quia popularium animos admodum abalienat pristini habitus mutatio; sed *modicus*, quòd magnifico & pretioso, ceu monilibus & margaritis, viri, quos magis ornat civilis & compositus animus, deformantur.

11. §. Recessus aliquis à vulgo requiritur; quia nimia conversatio parit contemptum, raritas conciliat admirationem; non tamen assiduus & diuturnus, quòd superbiæ suspicionem moveat subditis, & honorandî atque amandi Magistratum præcidat occasionem.

12. §. Recreatio animi & corporis Magistratui est necessaria, ut ad laborem reddatur vegetior, cùm, quod caret alternâ requie, durable non sit: sed ea, quæ hanc dignitatem decet. Usitata fuit venatio Alexandro, Pompeio &c, piscatio Augusto: pila Vespasiana;

Spasiano: pictura Hadriano: Musica instrumentalis
Neroni. Non tamen sit frequens, ne administrationis
officia negligantur. Venari non indecorum est prin-
cipi, sed venatorem esse.

13. §. Porro dicendum est, quomodo Principi er-
gà alios, utpote uxorem, liberos, Consiliarios, mini-
stros & subditos sit vivendum. Conjux ad secretiora
non est adhibenda, nec nimis sumtuosè & delicatè ha-
benda. Liberis idonei studiorum & morum Præce-
ptores sunt præficiendi. Consiliariis non omnia sunt
committenda, quòd potissimum horum pars ad Ma-
gistratum pertineat, qui ob id ad Rempub. fuit evectus,
ut hanc suis oculis, pedibus & manibus regat. Ministri
intra rectoris disciplinæ limites sunt retinendi & promptâ
animadversione.

14. §. Subditis debet Justitiam, Clementiam, Pru-
dentiam & Liberalitatem. Justitiâ æqualiter erga sub-
ditos administratâ stabilitur Principatus. Maximè hæc
efflorescit in fide & constantiâ dictorum factorumq;,
non tantum erga subditos, sed & externos, cum quibus
contrahit. Nam indigna est hæc promissi mutatio
Magistratûs Majestate. Fidem fallere in aliis probro-
sum, in Principe abominabile. Hinc Imperatoris ver-
ba inferiora juramentis æquiparantur. Perfidia apud
omnes historiographos infamis est Philippus Macedo
& Poeni.

15. §. Clementia animi à poenâ aut vindictâ ad le-
nitudinem cum judicio inclinantis Magistratui pro-
pria esse debet. Nam qui hâc virtute imperium tem-
perat, etiam hostes æquiores, quàm subditi sunt. Est
autem clementiæ pro ratione circumstantiarum rigo-
rem stricti juris mitigare, ita tamen, ne severitas, re ef-
flagi-

flagitante, planè seponatur. Legum certè rigore omnia in Repub. metiri velle, aut strictam juris normam furèti sæpe multitudini opponere, nihil est aliud, quàm torrenti per summa montium præcipitia ruenti oblutari. Sapientis Magistratus est, aduersus commotum & seditiosum nonnunquam populum non è vestigio legum fulmina jacere, sed de jure suo nonnihil decedere, ut, laxatis desiderii habenis, paulatim deinde in rectum perducatur tramitem. Quod quanti sit artificii & quàm illuminatæ prudentiæ opus, eorum, qui non potuerunt, multitudo, & qui potuerunt, paucitas demonstrat. Media hæc est inter crudelitatem & nimiam lenitatem. Hujus loci est comitas, ut etiam infimæ conditionis subditos admittat & audiat suis, non alienis auribus.

16. §. Bodinus simpliciter asserit, Principi haud convenire, coràm judicium exercere. Nos contrà, regis officium proprium esse, exercere justitiam & judicium. Regnum feliciter constitutum est, in quo Magistratus ipse judicandi suscipit officium. Non tamen omnibus judiciis tenetur interesse, quòd interdum nonnulla incidant, quæ speciem, quantumvis sint æquissima, summæ habent iniquitatis. Hæc aliorum operâ secundum legum præscriptum sunt administranda.

17. §. Post hanc Prudentia imperantibus injungitur, quæ est notitia rerum eventuumque & judicium rectum, ut intelligere & eligere norint res, quæ publicè privatimque fugiendæ aut appetendæ sunt: ut recordentur præterita, futura provideant, præsentia ordinent. Hujus principalis pars est simulandi & dissimulandi ars. Modus tamen prudenter est statuendus, ne ingenuitatis & veracitatis jactura fiat. Multa sunt dissimu-

fimu.

sunt. Vide Christianum Matthiam Ditbmarsum lib. i. Pot.
sect. 1. pag. 97. & 98.

17. §. Conjugio accidentale est nuptiarum, mediante pastore, promulgatio, personarum ad Templum deductio & sermocinalis in Templo copulatio. Neque enim vel Adamum, vel Sethum, vel Abrahamum, vel Isaacum verbalem hanc copulam suis in conjugiiis desiderasse legimus.

18. §. Conjugii sacra cuius licita sunt. Nam clara sunt verba 1. Corinth. 7. v. 2. Honorabilis est γάμος & παῖσι καὶ ἡ κοίτη ἀμύρανται, Hebr. 13. v. 3. ut fusiùs nos Theologi docent. Philosophus ostendit, naturalem appetitum hùc non tam ducere, quàm trahere. Huic extra conjugium nullo modo potest satisfieri. Qui cum Petræo sint excipiendi, vide supra thesin 8.

19. §. Falluntur ergò, qui coelibatum conjugio præferunt. Ita Hieronymus cum aliis conjugium atro notat carbone, fuligine ex 1. Cor. 7. petitâ. Sed sciendum, coelibatûs legem non magis evinci ex Paulo, quàm contrahendi necessitatem imperari per Moysen Gen. 1. Ut Moyses homines alloquitur indefinitè; ita Paulus Ecclesiam alloquitur conditionatè, non verò conjugium prohibet absolutè, ut Theologi nostri respondent.

20. §. Impii sunt in hunc divinitus constitutum ordinem, imò blasphemi, qui concubinatum defendunt. Vocant a. concubinam mulierem, quæ uni viro, mediante fide, minimè tamen conjugiali adfectû, sed solius continentix causâ jungitur, donec dignior assumatur. Hæc non est ferenda; quia præter rationes philosophicas jus divinum concubinatum pollutionem & scortationem nominat, Hebr. 13. v. 9. ut ex Theologiâ satis certum est.

B

Matri-

21. §. Matrimonium non nisi scortatione & discessione dirimitur. Quod morte solvitur, non tam dirimitur, quàm finitur. Reliqua, quæ hic tradi solent, de conjugum officiis, ut & hanc ipsam thesin relinquimus, cum vel ex quovis alio addisci queant, vel thesis hæc secunda defensores habeat acerrimos, quibus modestè cedimus.

22. §. Sequitur altera societas inter Dominum & Servum, quæ utrique parti naturaliter prodest; quia non tantùm Dominus ingenio excellit atque consilio, robore autem & viribus corporis servo est inferior, adeoque hoc, tanquam ministro opus habens; sed etiam, quia servus ingenio minus valet, nec sibi ipse prospicere & consulere potest, adeoque domino, veluti consiliario indiget. Et sic utrique parti & domino & servo naturaliter utilis & necessaria est hæc conjunctio.

23 §. Definitur *instrumentum Domini sui animatum, ratione præditum, aptum ad aliquid agendum, naturâ quidem in ejus potestate existens, sed tamen ab eodem separatum.*

24. §. *Instrumentum est;* quia principaliter non agit, sed in actione totus dependet à Domino, tanquam principali causâ. Additur *animatum*, quo à cæteris inanimatis, rastris, malleo &c. distinguitur. *Rationale*, quo à reliquis rei familiaris membris distinguitur, & maximè à belluis. *Agens*, quo ab inanimatis discernitur; quippe quæ non propriè agunt, sed per quæ tantùm agitur. Sic malleus non agit, sed faber per malleum. Dominus agit quidem per servum, sed non tantùm; quia in Domini effectu producendo etiam servus reverà agit. *Excell. Dn. D. Jacobus Martini lib. 1. Etb. pag. 43 & 44.*

25. §. *Naturâ in Domini potestate existens.* Hoc ipsum in præcedentibus probavimus, & hæc, ut Conjugalem

tem societatem, à naturâ esse. Adspice plebem rusti-
corumque manipulos, plures sanè animi usque adeò
impotentis animadvertes, ut nec suis commodis pro-
spicere, nec in longitudinem consulere valeant. Quos,
ut Seneca ait, in numerum pecorum & animalium re-
degit hebes natura & ignoratio sui. Nihil interest in-
ter hæc & illa. Quoniam illis nulla ratio est, his parva
& malo suo atque in perversam solers.

26. §. Hi ergò ad eorum opem naturaliter confu-
giunt, quos ad consulendum aliis ipsa natura sapienter
instruxit, ut ab iis opem ac solatium petant, adeoque
ejus felicitatis, quam sibi relictis expedire nequeunt,
aliorum adminiculo evadant participes. Et ad hoc
eosdem non consilio duci, sed brutæ naturæ impetû,
Philosophus passim inculcat.

27. §. Cùm tempore Constantini M. Pontifices Ec-
clesiarum certarent manumittendis servis, tanta obor-
ta fuit mendicorum, quippe ex propriâ prudentiâ se
nutrire nesciebant, multitudo, ut rogatione Pontifi-
cum Xenodochia, Nosocomia, & id genus alia hospi-
talia coacti fuerint Imperatores ædificare, quò mendi-
cis regiones levarent, ut *Bodinus refert lib. 1. de Rep. cap. 5.*
Non apparuit hoc clariùs, quàm parum sapiant servi-
lia ingenia, quàm in servis Tyriis, quibus universis, et-
iam servorum judicio, Strato unicus prudentior appa-
ruit. *Justinus lib. 16,*

28. §. Tandem dicitur, quòd in potestate Domini exi-
stat, quòdque sit instrumentum separatum. Non sui, sed al-
terius juris est; quia est membrum rei familiaris. At
res familiaris tota est Domini. Ergò & totus servus Do-
mini est, non tantùm comparatione, sed proprietate
& possessione. Quando appellatur organon separa-
tum, hoc à partibus corporum organicis, pedibus, ma-
nibus

nibus &c. distinguitur. Partes hæc quidem sunt anima-
ta, sed junctæ toti. Servus est & ipse organon anima-
tum, sed à toto, id est, Domino separatum. *Excell. Dn. D.
D. Jacobus Martini lib. i. Etb. pag. 44.*

29. §. Atque hæc est servitus naturalis hujusque lo-
ci, cui opponitur legalis, sic appellata, quòd consuetu-
dine hominum fuerit introducta & recepta. Legaliter
fit servus 1. *è jure divino*, quem vel Deus ob flagitia ad-
missa servum esse voluit, vel quem domini & liberorū
amor servitutis damnavit. 2. *è jure gentium*. Hujus cen-
sūs sunt mancipia, quæ bello expugnata sub jugum mit-
tuntur. Rectæ rationi videtur esse adscribenda hæc ser-
vitus, cū multò majus sit hominem belligerando
fundere, quàm captum abducere, abductum detinere,
detentum affligere, & bona afflictī dispergere.

30. §. Captivos, servitute rejectā præstitoque re-
demtionis pretio dimittendos esse, suadent Politici.
Nos distinguimus inter Captivos Christianorum &
Turcarum. Christiani charitate Christianā prohiben-
tur captos Christianos tam duro servitutis jugo crucia-
re: at sævos, barbaros, contumaces, iracundos & te-
merarios Turcas, quò minùs validè premas, nescio,
quid obster.

31. §. 3. *E damnatione ad mortem*. Hujus generis sunt,
qui dum propter delicta morte essent afficiendi, perpe-
tuæ servitutis vitâ donantur. Hos hodie repræsentant ii,
qui lapidibus movendis, munitionibus extruendis &c.
occupati noctū in carcerem impinguntur. 4. *ex ære a-
lieno*. Proprii hi sunt Romanorum, quorum creditores
numero plures corporum servilium minutatim scisso-
rum cruentas portiones inter se distribuebant & distri-
butas loco solutionis habuerunt.

32. §. Hoc antiquum servitutis jugum merito repu-
diamus

diamus. Præter quàm enim quòd harmonia corporis Christi hanc ipsam respuat, incolumitas etiam Reipub. eandem denegat, quam liberi, quam servi cupidius vindicant. Multi sæpe serviunt, qui ingenio & prudentiâ cumulati laudandam statui publico operam navare possent. Hæc jura veteris servitutis penitus sunt ablata, mortalibus à Paganismo ad Christianismum adductis.

33. §. Simulacra Romanæ servitutis hodiernis rusticis adhuc inhærent. Gallos plebem servorum fermè loco habere, tradit Bodinus, operas ab eâ dominos exigere, & si domicilium originis sine domini veniâ mutârint, domum à dominis capistro reduci posse. Idem jus obtinet in Sueciâ, quondam etiam in Bohemia, cùm regnum esset in statû adhuc tranquillo.

34. §. Servitus hæc, ut vult Petrus in Politicis, accepta ferenda est ascriptitiis dedititiisq; Romanis. Etenim, quemadmodum Probus Imperator literis ad Senatum datis, de se prædicat, subactam esse omnem Germaniam, omnes barbaros Romanis serere, Romanis arare: sic & postmodum Franci Gallias occupantes ex victis ejusmodi servos fecerunt, iisque, ne Provincia in solitudinem redactâ, ipsis etiam victoribus in fructuosa esset, terras colendas reliquerunt.

35. §. Hæc dicta sunt de servo, ex quibus quoque patet, quid sit Dominus, cùm hæ duæ personæ in numero relativorum sint, adeoque se mutuò explicent. De parentum & liberorum societate adhuc quædam restant. Philosophus docet, hoc esse discrimen harum societatum, quòd imperium mariti in uxorem sit quasi Politicum; quia conjuges inter se communicant consilia & rem domesticam communiter administrant: Domini in servum sit quasi Tyrannicum, cum primis si

sit durus Dominus: parentis denique in liberos Regium non tantum ob autoritatem, sed etiam amorem, quem erga liberos exercent, quemadmodum Monarcha erga suos subditos.

36. §. Ex hac societate nascitur parentum Imperium, quod habent in liberos jure pro generationis, itemque constitutionis tum divinæ tum humanæ. Neque verò eousque extendi ea debet, quod à Romanis fuit extensa, qui jus vitæ & necis in liberos parentibus attribuebant; id enim & naturali pietati repugnat, & ideò admittendum non est, quòd nemo sibi suisque partibus vim inferre queat.

37. §. Hæc potestas non matri, sed patri debetur; quia mater unà cum liberis subjicitur patris potestati: vel quia in familiâ unustantum est Princeps, nempe Paterfamilias, cujus Imperium est Monarchicum. Hunc autem statum duos non pati dominos, lippis & tonsoribus perquam notum est.

38. §. Deinde & illud hic explicari debet, ad quid Parentes liberis, & hi illis contra obligentur. Officia parentum erga liberos sunt nutritio, defensio, in pietate aut per se aut per alios educatio, pro diversis indolis & ætatis gradibus disciplinarum variatio, boni exempli exhibitio, delictorum prudens castigatio & liberorum desponsatio.

39. §. Nutritio à Deo parentibus est insita, ut incitet ad suorumque conservationem, sitque vinculum humanæ societatis. Alendus à matre infans non tantum cum in utero fœtus immaturus delitescit, & sensim crescendo absolvitur, ne futuro homini, antequam in lucem veniat, negligentia aut intemperantia aliqua ex parte noceat: sed etiam, cum jam natus matris ubera poscit, donec solidiorem cibum perferre queat. Hic loci constans est omnium sententia, ut ne mater sobolem mox à lacte depellat & ab illo fonte aliò ableget. Ita & naturæ consentaneum est, ut quis ab eo defendatur, à quo originem trahit.

40. §. Institutio tam privata, quam publica est. Utraque per certa ætatum intervalla distinguenda. De institutione alibi magis erimus operosi. Institutio specialis eò directa esse debet, ut liberi adulti ad certum vitæ genus honestamque disponantur functionem. Aquod Ægyptios filii paternam discebant artem, Athenis Solon lege sanciebat, ut, si filius à patre nullam artem fuisset edoctus, nulla ei senio confecto deberet alimenta. Filia discant lanam

lanam tractare, culinariam sobriam, mundam & frugalem; quã parentibus & fratribus cibos parent filia, maritis & liberis nupta.

41. §. Vita quoque atque exemplis instituendi sunt; quia facta dictis sunt potentiora, & facilius eunt in exemplum. Pater, qui peccata filiorum increpat & ipse in eadem prolabitur vitia, is non sentit, se sub illorum nomine semetipsum accusare. Cato è numero Senatorum aliquem eiecit, quòd uxorem præsente filio esset osculatus.

42. §. Disciplinam esse adhibendam, sacra docent litera. Qui liberos ad arbitrium vagari permittunt, latam aperiunt fenestram ad omnia scelera & libidines, tandemq; ad carnificinam. Ultimum est liberis de matrimonio prospicere, idque tempestivè, & quidem in filiabus, ne, ut est natura hominum proclivis in libidinem, in Venerem incertam prolabantur, & aliquod facinus in se & totam familiam admittant.

43. §. Hæc omnia tanta sunt, ut quicquid liberi rursus benefaciant Parentibus, id non tam sit benefacere, quàm beneficium reddere, adeoque nihil à nobis referri genitoribus nostris possit, quod non ab iis antea acceperimus. Debent liberi parentibus amorem & reverentiam. obedientiam & gratitudinem. Amor parentum & liberorum deberet esse æqualis, parentum tamen erga liberos semper est major; quia parentes liberis magis conjuncti sunt per naturam, quàm liberi parentibus, cum liberi sint de substantiã parentum, non contra. Parentes carissimos debemus habere, quòd ab iis vita, patrimonium, libertas & civitas nobis tradita fuerint. Hæc amoris vis se potissimum in reverentiã & honore erga parentes exerit, à quo secundam legis tabulam orsus est Deus. Agnoverunt hoc omnes omni ævo, qui à naturã non desciverunt.

44. §. Obedientia piis parentum monitis obtemperat. Cautio tamen hinc adhibenda est ista, si justa & legitima imperent. Amandus est generans, sed præponendus est creator. Gratitudo parentibus senio confectis, aut quoties necessitas exigat, beneficentiam tam facto, quàm animo demonstrare satagit.

45. §. Hæ sunt Societates simplices, e quibus domus constituitur. Est autem domus societas hominum naturalis ad quotidianam vitam usum constituta. Societas seu Communio dicitur, quòd, ut no-

ut notum est, domestici multa habeant communia, nempe locum
& domum, quam inhabitant; lectum, sub quo cubant; focum
& ignem, apud quem se calefaciunt; mensam, in qua cibum ca-
piunt; puteum, undè aquam ac potum hauriunt.

46. §. Domus dicitur esse constituta in usum diurnum, ut à
civili societate distinguatur, quæ non unius atque alterius homi-
nis utilitatem, sed totius gentis sæpè ac regni, non unius diei aut
exigui temporis, sed aliquot seculorum perpetuam spectat felici-
tatem. Hoc nomine etiam bonum politicum præstantius esse di-
citur bonò Oeconomicò.

47. §. Ex multis domibus oritur Pagus seu vicinitas, ex mul-
tis vicinitatibus civitas, ut ita vicus quasi inchoamentum quod-
dam sit civitatis ortum vel ex eo, quòd sæpe ex familiâ tam co-
piofa prodeat proles, ut unâ domo capi nequeat. Hinc definitur
Prima societas ex multis domibus diuturni usûs gratiâ instituta.
Prima audit Societas ad differentiam Civitatis, quæ est conjunctio
plurium domorum; quia pagus, quasi colonia quædam est, per
quam una domus rursus in plures domos est diducta. Desi-
gnat hæc hominum congregatio nudum conventum, qui cum
ad sufficientiam civitatis satis instructi nondum sint, vel partem
aliquam ruris pastûs gratiâ communiter possident, vel fluentem
accolunt.

48. §. Ex pagis tandem coalescit civitas perfectissima socie-
tas, omnibus rebus ad vitam necessariis instructa, non solum vi-
vendi, sed etiam bene vivendi causa instituta. Civitas ergò è pa-
gis, pagi è familiis, familiæ è societatibus simpliciter conflantur,
& semper tamen id, quod posterius est, ordine generationis prius
est & præstantius ordine naturæ seu intentionis.

49. §. Hæ sunt sex istæ naturales societates, de quibus brevi-
ter egimus, ita ut, superfluis omissis, necessaria tantùm proposue-
rimus. Præter has dantur & voluntariæ, utpote Collegium &
corpus, quod vel illiteratorum, vel literatorum, ut Academia. De
his omnibus alibi. Noster terminus est præsens, quem dum

serigimus, quieti nos dantes, omnis ordinis auctori,
Deo summas agimus gratias.

F I N I S.

05 A 2351


ULB Halle
003 784 223


3



60.







*Viro admodum Reverendo, Amplissimo atque
 Excellentissimo,
 Dn. PAULO KÖBERO SS. Theol.
 Doctori & Prof. P. Ecclesie Wittebergensis Pa-
 tron & Superiori, cuius gravissimo Consilio Ecclesiastici
 Altorum longè celeberrimo, Paterpropi-*

Disputatio Politica
de
MAGISTRATU,
quam
Dei auspiciis & Præsidio
M. MICHAELIS WENDELERI,
 Alumn. Elect. & Facult. Phil. Adjuncti,
publico submittit examini
CHRISTIANUS LEDERERUS
 Wittebergensis
*In Auditorio minori horis antemeridi-
 dianis die 12. Octobr.*

WITTEBERGÆ
 Excudebat MICHAEL WENZ,
 Anno cl^o 1799.

